

PROLEGOMENA.

Fuit ergo Hermes noster Rex Ægyptius, idemq; summus Poëta, vel, si mauis, notiore vocabulo, Philosophus, idem Sacerdos, unde triplicis illius magnitudinis cognomen sibi cōparauit ex quorundā sententia: quanquam alij hoc ad altiora mysteria de Trinitate diuina transferant. Quod, vt probare possim, tamē in præsentia hoc non agimus. Neq; tamē existimate me de illo Hermete impræsentia dicere, cuius scripta adhuc hodie circūferuntur. Ea enim planē ad- ulterina sunt, vt copiosē potestis ex eruditissimo illo viro Ioanne Goropio intelligere. Cui tamē si omnino assentiar, ne vllum quidē mortale Trismegistum fuisse pronunciauero. At mihi iā sufficit vel ex ista incerta narratione docere non esse clauo Reipubl. indignos Poëtas, quatenus hoc ipsum profitentur: vt etiam si reipsa hic Trismegistus homo non fuerit, tamē si fuisset, cum Poëta extitisse prodatur, Regiā dignitatē vel ex istis Poëticiis dotibus promeruisse po- tuerit. Quod vt melius percipiatis, audite Platonē dicentē, moris fuisse apud Ægyptios ex Philosophis (id est, Poë- tis) sacerdotes, ex sacerdotibus autem Reges eligere. De Zoroaste Peromedē dicit hoc loco opportunē posset, nisi quispiā illum Magicarum artium inuentorem esse clamitaret, quas ne videamur tueri, (quanquā noui qui fuerint Per- fici Magi) ex vulgi opinione quod vim illius vocabuli non intelligit, illius cōmemoratione superfedebimus. Com- modius Hytaspem subnectemus qui cum poëta esset, Rex tamen Medorū fuit. Hunc Hydaspem vocat Firmianus, à quo annem quoq; Hydaspem appellatam dicit eumq; sub pueri vaticinantis interpretatione ad memoriam posteris tradidisse sublatum in ex orbe nomen Imperiumq; Romanum, & id multo antē præfatus, quā illa Troiana gens cō- deretur. Neq; hīc obijciendum, non exprimi Poëtæ appellationē, nam nos Oracula illa non solita nisi versibus red- di satis exploratum habemus. Quid dicemus de Dracone qui etiā inter Poëtas recensetur? Is, vt scribit Gellius, fuit Atheniensis, vir probus, & multa prudentia præditus, iurisq; diuini & humani peritus (idem est ac si Poëtā vnico di- xisset vocabulo) primusq; omnium leges tulit, quibus Athenienses vterentur: videtis incrementū Atheniensis Rei- pub. à Poëta ducere originem? Sed quia ille ob seueritatem legum, quas Demades orator non atramento, sed sangui- ne scriptas dicitabat, minus vobis probabitur, ad Solonem transeamus. Quantus ille, quæso, Poëta, extitit? Hæretis? At diuinum Platonem audite, apud quem Critias in Timæo asserit si seriō Poëticiam excolere potuisset, neq; illi tot essent ex patrijs seditionibus obiecta impedimenta, futurum eum ipso Hesiodo & Homero inferiorem nō fuisse. At quo pacto hic Poëta Atheniensem Rempublicam administrarit, quā egregijs legibus exornarit, nemini ob tanti vi- ri celebritatem & splendorem ignotū aut obscurum esse suspicor. Eius sanē Elegias plurimū cōmendant Aristote- les, Aristides, Paulanias: qui addit vehementes & incitatos fuisse vt eo carminis genere Athenienses aliquando sint ad bella inflammati. Nimirū præstantissimum & minimē vulgarem Poëtam esse oportuit, qui ex Ægypto longē do- ctior, & rerum diuinarum cognitione non leuiter instructus redierat. Videtis iterum Poëtas etiam ad magnificam & beatam illam rerumpub. moderationē solitos admitti? Quid attinet Pittacū illum Mitylenæum cōmemorare, qui sexcentis elegis ciuibus suis leges conscripsisse traditur? Annon Poëta ille aliquandiu patriā suā tyrannus rexit, quā- uis ea dignitate postea sponte sese abdicauerit? Fuit etiam Periander Tyrānus Corinthius nō vulgaris poëta. Quid? nōne ipse Anacharsis Scytharū Regis frater leges versib; descriptas genti suæ proponere voluit? vnde colligo hunc etiā poëtam quasi confortem fratris in Regno illo extitisse, vt neq; barbara etiam illa natio Poëtas à publicis negotijs exsibilauerit. Satisne locupleti exemplorum congerie Poëtas quoq; non esse egregio illo vestro rerum moderami- ne indignos perdocuisse vobis videor? compertū habeo mihi non cū pertinacibus ingenijs esse negotium, à quibus longē difficilius hanc confessionē quā ex quouis sicco pumice aquam expressero. Imò, nisi me fallit animus, quāta vocis contentione fieri poterit, clamabitis me Anthericum metere, aut ex arena funiculum necere, qui hoc vobis ea ratione persuadere nitar. At vos pro libidine magis ac magis obdurescite, ego hoc ferrum ista incude tundere sinē non faciam, donec illud aut remollescat, aut se planē intractabile profiteatur, in quo nō tā mea imbecillitas quā ni- mia illius duritas culpari possit. Ergo nobis non sufficit ostendisse me Poëtas quoq; clauū illum Reipub. attrectasse. Quod vt fateamini, siquidem historię veritatem vestrū non est refellere, tamen non conceditis eos Poëtices be- neficio illud honoris fastigium conscendisse. Id verò ego minimē vrgeo, satis enim mihi est ostendere eos illius scia- entię gloria fuisse decoratos, quanquam, Ægyptiorum consuetudo, quā ex Platone repetebamus, id ipsum euin- cere videatur. Sed quia vetustissima illa Poëtica, quæ ex maxima parte fuit Theologica, cætero qui omnis secretioris eruditionis domicilium, in deteriorem quodammodo degenerauit, cum ab illa *ἡρωικὴ*, vt ita dicā, longē descuerit, de ea loquamur quæ nobis est cognita, & de qua vos intelligere percipio. Videamus ergo an scripta nostrorū Poë- tarum, quos nugarum sentinas fortasse vos nuncupatis, ad eā ipsam Rerumpub. administrationē cōducant: quod vos hæctenus negatis & nulla potestis ratione concoquere. Atqui ego id tam manifestē docebo, vt qui tam splendidā lu- cem non videbit, lollio victitasse atq; ipsius talpæ vel leberidis cæcitatem longē superasse existimari possit. Qui pu- blica negotia capeffere instituunt, duo sibi adminicula comparare debent: Vnum est morum, alterum ipsius Politicę scientię. Sub morali pietatem (quod summum est Rerump. columen) intelligere potui, sed quia ex purioribus Spi- ritus sancti fontibus illam hauriendam esse statuo de illa impræsentiarum plura dicere mihi temperabo. Quanquam illius nitidos quosdam riuulos in hanc nostram Poëticiam illinc deriuatos facile sit deprehendere. Et vt tandem hoc vobis persuadeamini, non grauabor insigniores quosdam locos huius argumenti excerpere. Vultis primū Deum potentem vobis à Poëtis exprimi? Audite Homerum nostrum:

*Ζῆς δ' ἀρχαῖο ἀνδραγαθὸν ὀφείλαται μινύθει* ὅπως κεν ἰθὺλῆσι μὲν ὁ γὰρ κάρτισ' ἀπάντων.  
id est (nam vestrum plerisque ista aliō qui non intellecturos scio) Iupiter virtutem viris auget & minuit Prout voluerit.  
Ille enim potentissimus est omnium.

*Δαίμονι θεῶν πᾶν δῶκεται,* Deo omnia factu facilia, inquit Callimachus.  
Hæc de plurimis paucula sufficiunt: quam breuitatē in reliquis etiā cōsectabimur. Vultis sapientē? Orpheus Deū:  
*ἰσιτάμενον τὰ τε ὄντα* Scientem præsentia, præterita, & futura appellat?

*σοφὸν θεῶν,* Sapientem Deum, Euripides. Vultis veracem?  
*ψαλλομένην γὰρ ἐκ πίστεως νόμα* Mentiri nescit os

*τὸ θεῶν, ἀπὸ πάντων ἔτι τῶν,* Diuinum, sed quæ dicit perficit omnia, inquit Æschylus.  
Quid quod Pindarus Veritatem Iouis filiam prædicat? Vultis bonum?

*τὰ τὸ θεῶν μὴ γησά,* Quæ à Deo sunt, bona sunt, inquit Euripides.  
*κακῶν δὲ θεῶν ὄντων ἀπὸ,* Deus nunquam est causa malorum.  
inquit Lyricus apud Clementem. Vultis iustum?

— ἔξ' ὅτις